

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538889**

XL. Oratio In Famam Meritaque D.D. Taylor Angli.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

X L.

O R A T I O

*IN FAMAM MERITAQUE*

D. D. T A Y L O R

A N G L I.

*Publice habita a*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

Tubingæ i Maii 1750.

B b 2





THE  
O R A T I O N  
IN  
P R A I S E  
O F  
A N  
A N G E L  
O F  
T H E  
H E A V E N S  
B Y  
T H E  
R E V E R E N D  
F A T H E R  
I N  
C H R I S T  
J O H N  
D A V I D  
M A G I S T E R  
M. A. B. D. D.





**A**ppropinquante legali periodo, qua Rector Academicus se Magistratu abdicare, haut invitus quidem plerumque, tenetur, de tali dispicere themate coepi, quod in habenda oratione publica vel communi auditorum palato satisfaceret, vel certe aures animosque sua alliceret raritate.

Perorandi vero materiam & uberem satis, & curiosam, neque suo defectu usu præbere mihi videbantur publicæ, quæ per elapsam hoc semestrem aures oculosque nostros subierunt, novellæ.

Sive enim præcoccem sub ipsa hiemali periodo vernam, imo cum ipso calore æstivo certantem totius Europæ tempestatem hujus anni insolitam respiciamus: sive furores æoli effrenos, & quæ insignia hinc pullularunt damna pensitemus: sive succussorios graves terræ motus attonita recolamus mente, quibus Italarum maxime ac Britannorum non magis tellus, quam animi contremuerunt, imo quali & nostrum multi, qui post primam nocturnam modo elapsi mensis diei undecimi, heic Tubingæ etiam, vigilantes & sive in lecto jacentes, sive assidentes mensæ, unico quidem, sed validissimo succussu in haud vanum conjecti terrorem obtupuerunt: sive frequentes & numerosas gentium migrationes, alios scilicet incolas in Hungariam: alios in Borussia: alios, eosque ex ipsa quoque nostra Patria, in Americam integris cum familiis suis concedentes sub incudem revocemus physico-medicam: sive magnifica Tayloris, ocularii Angli encomia, quæ utramque novellarum undique advolantium, paginam fecerunt, excutiamus; quot quantique quæso dimanant rivuli e fonte physico, medico atque chirurgico, quibus uberrima adfuit dicendi materia?

Sed ne prolixitate molestus evadam, unum dumtaxat ex his objectum, *ocularium* scil. illum *Taylorum*, vel potius operationes ejus oculares, tanto magis eligendum duxi, quo sæpius à variis eruditis de fama meritisque celeberrimi hujus viri ac mirificis operationibus chirurgicis, quas plenis fama eructat buccis, fui quæsitus.

Subnectam huic modestæ epicrisi meæ rarissimam observationem anatomicam, quam ante aliquot menses heic feci in nato fœtu humano, cui nemomus quidem habuerit, quod obijciat, utpote cui cor extus e pectore fuit pendulum.

Benevolis igitur auribus ut me verba porro facturum excipiatis, est quod summis contendo precibus!

Magna vero Britannia, ejusque metropolis Londinum, uti fecunda tot aliorum primi ordinis eruditorum mater fuit, ita quoque de ophthalmiatria olim & nunc bene mereri cupientium, imo & partim actu optime meritum virorum, e. g. *Woolhoufiorum*, (avi, patris, filii,) *Tourber-villii*, *Briggii*, *Banisteri*, *Cowardii*, *Readi*, *Duddelli*, *Kennedy*, *Chefeldenii*, *Societatis Edenburgensis*, imo & *Regiæ Londinensis* &c.

Unde & ex hoc equo Trojano nostra ætate, ante quindecim fere annos,





num erupit *Johannes Taylor*, Med. D. & ocularius Anglus plurimas in regiones exteras, Belgium, Galliam, Italiam, Lusitaniam Germaniamque, quam quidem nunc altera vice peragrat. Tum vero, juxta virgilianum illud:

Europæ subito magnas it fama per urbes:  
Fama, malum quo non aliud velocius ullum:  
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo,  
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.  
Hæc tum multiplici populos sermone replebat.

Confluunt ad quemlibet, in quo degit operator hic desideratissimus, locum non decades tantum, sed & centuriæ hominum oculis laborantium & à lynceo hoc *Esculapio* perditam visus aciem confidenter expetunt expectantque restituendam.

Expromit ille curiosis spectatoribus pretiosam suam, auro argentoque fulgentem instrumentorum supellectilem, atque testimoniurum tam privatorum, quam publicorum insignem cumulum: administrat subtiliorem oculi anatomen: adjungit physico-mathematicam visus, & naturalis, & vitiatæ demonstrationem.

Dilucidat aliquos oculorum morbos artificialibus oculis, e vitro conflatis, atque varias morborum species æmulantibus, quales hodie conficiunt in Galliis artifices. Admittit, quin invitat principes, Magnates, medicos, chirurgos variosque alios eruditos aut curiosos homines, ad videndas & audiendas non modo theoreticas hæc demonstrationes, sed actuales etiam in ægrotis suscipiendas operationes chirurgicas.

Atque hæc omnia, quæ *Viri* hujus eruditionem, experientiam, affabilitatem, candorem & in operando dexteritatem atque promptitudinem abunde comprobant, variis publicis relationibus, atque integrorum hinc inde collegiorum medicorum testimoniis confirmantur, imo feliciter curatorum numerus mirum quantum extenditur, & hinc titulis, honoribus atque opibus diffluere traditur hic ocularius, magnatum ocellus.

Adscribuntur insuper ipsi, præsertim in epistolis bigæ celeberrimorum virorum, D. D. Emanuelis *Kenig*, Prof. Med. Basileensis, & Joh. *Gesneri*, Med. D. & Mathematicum Professoris Tigurini, quæ Berolini Anno. 1735. sunt editæ, plurima nova inventa, tam in ordine ad scientiam & enchireses ocularias, quam instrumenta chirurgica, &, quod caput rei est, rotunde prædicatur de ipso, quod tollat & radicitus curet omnes quascumque sive cataractas, sive glaucomata, sive guttas serenas, pro incurabilibus hucusque habitas. Ipsosque hos aureos montes confirmare videntur publicæ novellæ, quæ nonnisi e voto curatorum, undique ad Taylorem confluentium cæcorum fidem nuperrime fecerunt: ante quindecim vero annos, cum is versaretur Amstelædami, e 225. personis, nonnisi 15. sperato curationis successu frustrati numerabantur.

Tandem quoque prætereundum non est, variis *Taylorem* scriptis inclariisse,





ruiſſe, quæ ego quidem novi, vel poſſideo: Tractatu nempe de Organ<sup>o</sup> viſus immediato: Item de morbis cryſtallini humoris, ſive de cataracta & glaucmate, Anglico idiomate: Gallico autem, quod inſcripſit Mechanifimum oculi; Et latino, quod Syllabum vocat curſus anatomix, inſirmitatum atque operationum globi ocularii & partium contiguarum, quodque Hiſpaniæ Protomedic<sup>o</sup>, *Dn. Cervy*, dedicavit.

Hic ille ergo eſt *Taylor*.

-- Ἄνθρωπος πολλῶν ἀντάξιν ἄλλων!

Verum enim vero, cum hiſtoricam tueri fidem oporteat, diſſimulare non poſſum quod elatus ſuper æthera *Taylor* laudetur ab his, culpetur ab illis, plurimique ſuſpenſa promiſſorum expectatione cum *Horatio* exclamaverint:

Quid tanto dignum feret hic promiſſor hiatu?

*Alii* ſcilicet vitio verterunt *Taylori* Thraſonicam oſtentationem, qua ſoleant hiſtriones & agyrtæ in foro publico ſpectatoribus imponere, juxta *Plautinum* illud:

--- Nos facietis fabricis & doctis dolis.

Glaucmam ob oculos objiciemus!

*Alii* nefandum objecerunt illum dolum, quod fanos pretio conduxerit, qui cæcitatem mentiti operationem *Tayloris* chirurgicam dicis gratia ſuſtinuerint & ſpectatoribus reſtitutum hinc ſuum viſum comprobaverint, revera autem callide ac turpiſſime illuſerint.

*Alii* vero ſpecifica & numerata, imo fere dixerim innumera, infelicium, quin tantum non funeſtarum curationum exempla opponunt, quale eſt, quod *ex ipſo Tayloris ægroto*, *Domino Paſſavant*, *Francofurtenſi* reſert celeberrimi *Laur. Heiſteri* filius haud degener, *Med. Cand.* (ſed, quod & ego vehementer doleo, præmatura morte apud Belgas abreptus) in relatione Germanica, de *Taylor* Anglo, edita *Helmſtadii* An. 1736.

*Alii* novitatibus, quas prætexit, larvam detrahunt, & partim nihil ipſum in ſcriptis tradidiſſe contendunt, quod non ab aliis dudum ſit dictum, partim quæ nova videri poſſent, nugæ eſſe canoras, & ventofæ ſuffragia plebis, vel magnum tale, quod pueri in faba inveniant.

Unde factum fuiſſe, ſuperaddunt *alii*, ut in populofiſſimis variis urbibus, non reſpondente curationum ſucceſſu vel opimis pollicitationibus *Tayloris*, vel maximo, quod a divitibus anticipare ſolitus ſit, ſoſtro, plurimi ægrorum male elocatam ſuam a *Taylor* fatiſ acerbe repetierint pecuniam, unde hic aliquoties vel tandem evanuerit, &, quorſum (ut loquitur *celeber Haller* in commercio literario *Norico*) fugitivos tulerit grefſus, haud conſtiterit aliquandiu? Siniftras hæc Extërorum de *Taylor* opiniones ipſi quoque ejuſdem conterranei *Londinenſes* publicis auxerunt ſcommatibus, duplici ſchediaſmate, quorum alteri titulum fecere: *Dr. Taylor* operationi cataractæ ſubjectus: Alteri vero, *Præſcriptio*, ſive formula, qua ratione tractatus vel liber de morbis capitis, pectoris.

OCULI





oculorum, aut alius corporis humani partis cito possit confarcinari: Quæ scilicet ingeniose deriserunt Tayloris tractatum de immediato visus organo.

*Judicium meum* si exposcatis, auditores, non præsumo quidem tantas componere lites, nec in omnia ac singula causæ merita me immergere, Pace tamen vestra, imo & Dn. Dr. Tayloris, quid de ipso sentiam, candidè ac modeste sic edisseram, ut a nemine quod spero, redargui possim, quod vel difficili bile, ut loquitur Horatius, fervens meum tumeat jecur, vel figulus figulum odio habeat, vel vago rumori nimis facilem præbeam assensum.

Virum nempe hunc juvenem puto in cognitione oculi humani physico-medica & chirurgica versatissimum: Amplissima observandi & experiendi occasione instructissimum: Ingenio sane ac judicio minime destitutum, nec omni laudum gloria exuendum, sed incitandum potius, ut ophthalmiatriæ scientiam ac artem longe profecto difficillimas, magis magisque excolat exornetque prudenter & ingenue, utpote qui in tribus, quos possideo, tractatibus multa solide ac candidè, licet non ubique de Suo, in publicum edidit, & procul dubio a quindecim annis, cum primum acerbiorum Eruditorum incurreret censuram, multa non tantum didicit per ipsum artis frequentem usum sed & quædam dedidit, quibus minus placere poterat.

Hinc abstinere fortassis in posterum, ut sperare fas est, ab illis thraconicis novellarum publicarum buccinis, quibus per omnes Europæ partes classicum quasi canere cæcis videtur: Temperabit fastum & jactationes, quibus multorum hætenus incurrit vel invidiam, vel contemptum. Operam dabit, ut observationes rariore studiose colligat, testimoniis in arte expertorum fide dignis muniat; medicamenta & adhibitas enchirides fideliter recenscat atque cum orbe erudito communicet: Amicitiam & commercium literarium cum aliis celebribus contrahat Ophthalmiatriæ, neque sinistros eventus & infelices curas reticeat, utpote e quibus aliquando plus redundat utilitatis ad docentes pariter ac discentes, quam e felicissimis quibusque curationum eventibus.

Sed ab historica & parænetica hac meæ orationis parte nunc deflector ad dogmaticam, & meam superaddo *quantulacumque epicrisin in duo præcipue Postulata Tayloris & promissa*, quæ plebi hætenus salivam moverunt, bilem vero Eruditis.

*Alterum* est, quo cataractas & glaucomata quævis deprimat, tollat ac persanet sine ullo periculo, vel dolore:

*Alterum*, quod guttam serenam variarum specierum & innumerabiles oculorum morbos, incurabiles hucusque habitos sanet, ac auferat, prout utramque hanc prærogativam non tantum novellæ publicæ, sed biga quoque epistolarum, celeberrimor. DDn. DDrr. Kenigii atque Gesneri, supra citata, Taylori vindicant, & versus sequentes, effigiei Tayloris in Tractatu ipsius de oculi mechanismo subjecti confirmant:

Hic





Hic maculas tollit, cataractas deprimit omnes,  
 Amissum splendens excitat Ille jubar.  
 Miranda praxi sublata ophthalmia quævis.  
 Artifici dextræ Gutta serena cedit!

Atqui vero quod cataractam spectat & glaucoma, heic prænotare decet, quod Dn. *Taylor* per utrumque hunc morbum intelligat variam præternaturalem lentis crystallinæ alterationem in consistentia, pondere ac transparentia, omnem vero membranaceam cataractam, quæ inter pupillam & lentem crystallinam hæere abs veteribus non tantum traditur, sed a recentioribus etiam pluribus fide dignissimis Authoribus ex autopsiâ confirmatur, rotunde & per scamnum, quo aiunt, neget pernegetque unquam posse existere.

Cujus quidem sententiæ, quam a celeberrimo *Petit*, medico, præsertim mutuatus videtur, nec ipsum Celeber. nostrum *Heisterum*, licet e primis fuerit, qui venditam cataractæ membranaceæ frequentiam acriter & rectissime impugnavit, nec me, nec tot alios, qui hanc litem æqua trutinaverint lance, unquam habebit suffraganeos.

Utcumque vero cataractæ talis crystallinæ depressio & ab axi oculi remotio feliciter processerit, non tamen hinc vel necessario & absolute, vel semper subsequi solet vel potest visus restitutio, qualem igitur neque *Lauro*, neque *Cedro* & ne straminis quidem calamo dignam reputabit æger cæcus, tanquam corvus hians turpiter delusus: imo ne simplex quidem illa depressio, & à vinculis suis, quæ aliquando arctius affigitur atque coercetur, liberatio & versus inferiora vitrei corporis detrusio tam facile semper fit, ac vulpes pyrum comest, aut sine gravi dolore aliisque maximis subsecuturis perficitur incommodis malisque.

Nam si vel cuncta hæc atque singula votis aliquando responderint ex affe, tamen novus ex operatione infurgit alius subinde labor, ægroto non minus, ac ophthalmiatro molestissimus. Si nimirum lens crystallina, quæ per operationem depressa & novæ sedi affixa fuit, vel propter molem, vel duritiem, vel superficiem asperitatem, sensiles uveæ ac ligamenti ciliaris nervulos atque fibrillas jugiter stimulet, gravissimos provocet dolores, affluxum, & stasim sanguinis in uvea excitet, & aliis dehinc promanantibus oculi gravissimis affectibus ansam præbeat. Itane, quæso, depressione curata est cataracta? Hæccine illa est operatio, quæ sine periculo, sine dolore perfici laudatur?

Sed in promptu habebit expertiss. D. D. *Taylor* speciosam responsionem: scilicet aut talem cataractam operatione non esse tentandam: aut, si fuerit suscepta illisque excepta incommodis, alia supplendam methodo, qua lapsus hic offensionis tollatur. Itaque lentem crystallinam, quæ spinæ infixæ rationem habet, sede sua inferiori, in quam præcedenti operatione detrusa fuit, excitandam esse, versus pupillam attollendam, & vel integram, nisi nimia moles impederit, vel, juxta vetustissimum *Celsi* præceptum in





particulas concidendam & in anteriorem oculi regionem promovendam, deinde vero per debite incisam & pertusam tunicam oculi corneam foras extrahendam idoneis instrumentis.

Quis vero in ophthalmiatria vel obiter versatus non perspiciat, & duplicari, quin triplicari sic operationem chirurgicam contra unum eundemque morbum, & ipsam insuper successus aleam valde dubiam esse, longam atque molestissimam? Taceo multa alia, quæ operationem cataractæ crys- tallinæ consequuntur haud raro mala, sive vitio morbi rebellis, sive ægri, sive operantis, sive ex aliis enascantur causis.

Cæterum ne hæc quidem *crystallini extractio* ex oculo, cujus administra- tionem abs *Taylor* perficiendam tam avide leguntur expectasse Angli, vel nova est, vel propria *Taylori*, &, quod jactant, ab eo inventa.

Concedet id ipse *Taylor*, si meminerit, quod quidem ignorare vix po- test, ipsius contreraneum, celeberr. *Woolhousium*, ante octo jam lustra il- lam docuisse atque exercuisse non minus ac haud ita pridem Dominum *de Mours* Lutetiæ Parisiorum.

Par ratio est *novæ, lentem deponendi crystallinam, methodi*, quam sibi tribuit Dn. *Taylor* disertis verbis in Anglico tractatu de crystallini morbis. Illam enim à potiori debet ingeniosissimo *Petito*, Medico Parisiensi, quam hic proposuit & figuris illustravit ante *Taylor*em, tam in distinctis sche- diasmatibus, quam in actis Academiæ Regiæ scientiarum Gallicæ.

Nimis autem longum foret, veteris methodi, cataractam deponendi, comparationem instituere cum hac recentiore, & quantum altera alteri antecellat, enucleare.

Quare, cum præterea e sola cataractarum depositione, quæ aliquando & rudibus indoctisque feliciter cedit sic dictis oculariis, lauream captare procul dubio erubescat famigeratissimus Dn. *Taylor*; ad alteram transeo ejusdem præcipuam, laudationem dicam, an ostentationem? Qua prædi- catur, omnem guttam serenam, variosque alios oculi affectus tollere, hac- tenus indomitos ac insuperabiles creditos.

Transeant vero hac vice reliqui affectus oculi, quorum sane, proh do- lor, multi sunt & manebunt oppido incurabiles! De sola dicam *gutta se- renâ*, quæ an pro incurabili semper, absolute & promiscue sit olim vendi- tata, aut hodiernum habeatur: aut num omnis, cujuscumque speciei per *Taylor*em vel curata sit, vel curari possit, paucis ostendam?

Sub titulo *guttæ serenæ*, quam plurimi eandem cum amavrosi habent, intelligunt authores, ipseque non minus *Taylor*, talem visus notabilem imminutionem, vel abolitionem totalem, in qua extus inspicienti nullum, quod pro sufficienti causa posset allegari, vitium, præter pupillæ in nonnul- lis mutationem præternaturalem, respectu vel suæ diametri, vel mobilita- tis, addit *Taylor*, ut mihi videtur ex superfluo, vel propioris versus cor- neam accessus, ut itaque taliter affectus oculus ut plurimum æmuletur sa-  
nissi-



nissimum, & tamen objecta vel difficillime, vel plane non, imo ne lumen quidem denique possit distinguere à tenebris.

Guttam serenam dividit *Taylor* in perfectam & imperfectam. Veram perfectam appellat, quæ in oculo, omni lumine visuque orbato, nullum sui externum habet signum, nisi immobilitatem iridis, vel rectius pupillæ, hujusque præternaturalem vel situm, vel constrictionem, vel dilatationem. Imperfectam vocat, quæ oculo visuque lumen haud admittit, sed tamen extus conspiciendas exhibet alterationem motus iridis, & pupillæ præternaturalem situm, constrictionem, aut ampliacionem.

Imperfectam subdividit in falsam & veram: illam determinat, quæ, nec in ultima sua periodo, lumine privet oculum in totum: hanc vero, scilicet imperfectam falsam, dicit comprehendere omnes illas viginti octo species guttæ serenæ perfectæ, sed consideratas, antequam ad summum fastigium plenariæ visus extinctionis pervenerint. Omnium specierum, quas vocat, guttæ serenæ summam ad quadraginta duas evehit.

Nolo in præsentiarum illam specierum appellacionem & numerum ad normam vel logicam, vel medicam metiri, quam profecto paucissimæ sustinent. Nolo pariter vel adhibere limam confusioni affectuum diversorum, à vera notione ac indole guttæ serenæ alienorum: vel lumen accendere recensitioni *Tayloris* obscuræ, intricatæ dubiæque signorum atque causarum: vel distinctis guttæ serenæ veris speciebus peculiaribus, pro more veterum, tribuere nomina, quod quidem *Dn. Taylor* in totum negligere haud debuisset.

Sed hoc tantum moneo, quod nemo unquam dixerit, omnem quamcumque guttam serenam esse incurabilem, quin potius ab omni ævo propositæ sint non modo varîæ methodi plurimæque remedia, sed etiam profert observationes numerosissimæ actualis curationis, quæ imò affulsit aliquando sponte, præter intentionem & adhibita per artem remedia.

Existere tamen *guttæ serenæ species*, quæ hodiernum revera & absolute sint incurabiles, quasque nulla ars medica, neque *Taylor*, neque alius quicumque possit tollere visumque restituere, nemo inficias ibit, nisi qui in scientia ocularia fuerit talpa cæcior.

E. G. Si gutta serena proficiscatur a nervi optici vulnere, discissione, abruptione, atrophia, aridura, induratione scirrhusa, compressione per calculum, exostofin, aneurisma inveteratum, &c. sive circa exortum hujus nervi e suo thalamo, sive in ejus progressu, sive insertione in oculum fonticæ tales nidulentur causæ; quis erit, quæso, vel tam stolidus, vel audax & temerarius, ut nervum divisum conglutinare aut consuere, aut cranium, meninges & cerebrum perfodere, viamque remediis aperire vel somnando cogitet audeatque: quis calculum e basi cranii exsculpere, aut exostofin internam & profundam abraderet, aut pus serumque e ventriculis cerebri educere præsumat? Et, si vel maxime liceret nervum opticum, qua parte laborat, detegere & remediis nudum subicere, neque sic tamen nodus semper solveretur. Nemo enim illum induratum, scirrhusumque factum





posset emollire & compressos ejusdem tubulos referare : aut flaccidum, subfidentem, tumidumve, à viscida materie infarctum aperire, cum per multa experimenta certo constet, in vivis animalibus capta, quod sensus motusque partis e vestigio pereant à nervo, ad illam abeunte, non tantum diffuso, vel ligato, vel fortiter compresso; sed etiam à sola compressione ac ligatura fortiore, etiamsi momentanea tantum, (soluta & ablato scil. statim iterum vinculo & impetu compressorio,) sensus motusque maneat aboliti.

Igitur, cum absolute sit impossibile, omnem qualemcumque guttam serenam per qualiacumque remedia tollere physica atque medica, itaque a vero longissime aberrant, qui vel talem curam sesquipedalibus jactant promissis, vel cæcam ei fidem tribuunt atque testantur.

Tamen, ne quid dissimulem, *methodos superesse* suspicor atque concedo, quibus aliquæ, aliquæ inquam, *species guttæ serene*, hactenus pro incurabilibus habitæ *possint curari*, visusque restitui. His ipsis annuero methodum ingeniosam ipsius Cl. *Tayloris*, quæ quidem paulo aliter recensetur in commerc. literar. Nor. Ann. 1734. p. 353. Aliter vero in supra laudati, beati *Elie Frid. Heisteri* relatione de Dr. *Tayloris* p. 47. Ibi nimirum refertur: in gutta serena palpebras mediante speculo oculi diducere & sufficienter aperire, dehinc vero musculos oculi successive acu obtusa compungere: contra pupillæ vero immobilitatem fricare oculum instrumento quodam, quod cochlearis formam, sed superficiem asperam, sive denticulatam habeat.

Heic autem in modo laudata scil. Heisteriana relatione meminit in litteris d. 6. Sept. 1735. ad celeb. *Laur. Heisterum* Londino perscriptis *medicus quidam Anglus*, quod viderit *Taylorem* novam operationem, quam jactet, administrare duabus personis, gutta serena laborantibus. Verba quibus instrumentum, operandi modum ac eventum describit, latine reddita, hæc sunt: operatio hæc est species frictionis, prout ipse *Taylor* eam appellat, atque perficitur instrumento, ex argento fabrefacto, quod una extremitate glabrum, seu læve, altera vero limæ simile est. Postquam mediante speculo oculi palpebras depresso bulbumque oculi firmiter comprehendit, tum fricat oculum supra memorato instrumento, (nec interea querelas movent ægri de alicujus momenti doloribus) ac deinde sicco obligat linteo, ægrumque jubet in lecto quietum decumbere. In altero horum ægrorum, pergit idem relator, nullam pupillæ contractionem (mobilitatem ad luminis gradus intelligit procul dubio) ante operationem, post eam vero evidenter conspicuam fuisse.

Quamvis autem idem medicus Anglus deinde novis literis confirmarit, quod neminem eorum, qui gutta serena laboraverint, quosque *Taylor* per suam operationem liberare ac restituere promiserit, vere sanatum viderit, imo quamvis sæpe ex eo percontatus sit, quomodo valeant illi, quos operationi conspexerit subjici, frivola tamen excusatione semper delusus fuerit: imo & hoc addiderit suæ relationi, quod ægris aliquando plurimos dolores  
con-



concitet *Taylor*, post operationem guttæ serenæ, ex epithematibus calidis oculo ad motis scopo restituendi processuum ciliarium motum.

Ego tamen bona cum pace omnium, qui anatonem & nosologiam oculi callent, statuo, hanc sive punctiois, sive frictionis enchiresin non plane rejiciendam esse, vel exhibendam, sed imitandam potius & emendandam ac ad ulteriorem gradum perfectionis evehendam prudenter suspensaque manu.

Ratio in promptu hæc est: nervi, qui per palpebras, conjunctivam & musculos oculi disseminantur, e tertio, 4to, 5to & sexto pari, motu illo frictionis, vel punctiois stimulatique sensum hunc motumque communicant cum nervulis uveæ, nervis opticum cingentibus atque ipsis etiam musculis nervum opticum, in suo ingressu in oculum, complectentibus. Unde si quæ est nervi optici, aut nervulorum ciliarium, aliorumque in tunica uvea & choroidea disperforum & expansorum, ipsiusve etiam retinæ quasi paralytica segnities, aut non adeo pertinax obstructio, aut nervi optici spasmodica contractio, aut compressio à vasculis sanguineis turgidis, eum circumdantibus, quidni etiam heic pariter ac alibi in corpore humano valida procurabitur per illas frictiones vel punctiones revulsio atque discussio?

Occasionem vero dedit, vel dare saltem potuit huic *Tayloris* operationi, quantumcumque novam sibi que propriam deprædicet, simile tentamen, à celeberrimo *Valsalva*, viro fide dignissimo ac ab ostentatione remotissimo, dudum ante susceptum, quod ex ipsius epistolis anatomicis, commentario maximi Anatomici *Morgagni*, illustratis recensere operæ pretium duco. Ita vero heic iterum habemus *Taylorem* ante *Taylorem*! Sic enim differit *Valsalva*.

„Noti cujusdam chirurgi uxor, cum gallum indicum capere vellet, ab  
 „eo percussa est impactu ungue in alterum oculum. Paucus e vulnere ex-  
 „stillavit sanguis, & visus illico amissus est. Varia adhibita sunt remedia,  
 „incautum tamen omnia. Triduo post, ad me accedit mulier auxilium im-  
 „plorans. Oculum diligenter inspicio, si forte aliqua læsio deprehendi pos-  
 „sit? Sed, nec externæ partes, nec internæ, quidquam indicant læsi. Dum  
 „igitur mecum ipse meditor, quidnam interius insensibiliter vitiatum esset,  
 „unde visus amissio penderet; suspicio incidit, de annulo, nervi optici mo-  
 „deratore, qui, à vulneris dolore convulsus, spirituum affluxu impedito,  
 „malum istud induxisset. Itaque animadvertens, nervum, supra orbitam  
 „oculi erumpentem, transire prope annulum, ipsique propagines nerveas  
 „impertiri, illum, qua ab orbita erumpit, valida pollicis compressione agi-  
 „tavi. Vix hoc factum est, cum statim pristina oculo visio restituta est!

Curiosissimum profecto est & maximi usus hoc *Valsalvæ* experimentum, & quod æque, ac *Tayloris* operatio nova, in curatione guttæ serenæ, variisque pupillæ anomaliis in diametro sua & mobilitate, meditationibus, ac ipsius hujus methodi vel emendationibus, vel surrogatis ansam præbet exoptatissimam. Quid enim? Si ipsa ophthalmoxystis Hippocratico-Woolhoufiana, de qua olim publice disserui, contra guttam serenam, illamque præfer-  
 tim, quæ oritur à compressione & strictura nervi optici per circumfusa vas-





cula, sanguine turgida stagnante, diligenter & provide in usum ducatur? Quid, si plus minus validæ concussiones & agitationes ad palpebras oculumque dirigantur per machinam electricam, in nonnullis guttæ serenæ causis?

Sed cum solum hoc thema ocularium jam plures præter spem absorpserit paginas, itaque nec quæ de primo meæ orationis objecto, plura dici poterant, nec quæ de altero, observatione scilicet illa rarissima situs cordis plane extraordinarii supersunt, fas est superaddere.

F I N I S.



DIS.





## PRÆCOGNOSCENDA.

## §. I.

**G**enuina analytico-systematici, seu : distincti atque ordinati, uno ver-  
bo : eruditi (v. *Parisiis a nobis proxime editum Pantom. Erud. §. 199-209*) cogitandi, dicendi & scribendi generis *præcognoscenda*, præ aliis  
*cognoscenda* postulare, res ipsa, aptaque eorum eloquitur & plana deno-  
minatio (l. c. §. 6. 7.) *Præcognoscenda* itaque *ob alia*, quorum gratia  
præmittuntur, necessaria indigant *cognoscenda*, *cognoscenda*, inquam;  
ideoque non qualiacumque, quæ dici possunt & cognosci, sed quæ debent,  
exclusis omnino alienis, quæ exactæ methodi ignaris luxuriosaque ductis  
cogitationum levitate in calamos animosque veniunt vagabundos.

*Præcognos-  
cendorum  
character  
generalis.*

§. II. Equænam vero istius modi veri nominis *præcognoscendorum* (§. I) *Eorumdem*  
*essentia* sunt *momenta*? Maxime, ut equidem judico (a), *partim* com-  
pleta & ex integro objecti, quaqua patet, ambitu circumscripta *tractan-*  
*dorum determinatio* (b); *partim* exploranda *utilitatis ratio*, ex qua præ-  
fixam materiam consideratione nostra dignam, &, ut aliis etiam commu-  
nicemus, opportunam judicamus (c); *partim* prævia *methodi*, qua usuri  
fumus, in perlustranda substrata materia, brevis notitia (d); *partim* to-  
tius objecti, contemplationi nostræ expositi, generalis varietas, & inde  
resultans summa ejusdem *partitio*, ex qua omnis postea reliquus deduci po-  
test ordo tractandorum *systematicus* (*Pantom. Erud. §. 4-12*).

*Eorumdem  
momenta  
specialia.*

§. III. Primum igitur (§. 2. lit. a.) tractationis præsentis momentum  
est *adequata thematis determinatio*. Utut enim hoc ex hypothese elegerim,  
illud tamen semel electum, ex essentiali sua indole, jamjam in legem abit,  
sub ipsius evolutione non amplius exuendam (*Pantom. Erud. §. 16*). Sum-  
mam ipsius scriptum hoc prima fronte refert, cujus juxta inscriptionem  
*resolvendum & demonstrandum* est: *novum problema chirurgicum de extractio-  
ne cataractæ ultra perficienda*. Hoc modo, quantum fieri potuit debuitque,  
ex genuinæ & ab usitata titulorum vanitate alienæ inscriptionis legibus,  
*breviter, perspicue & adequate* patet plena tractationis totius idea, quam  
neque abundantem, neque deficientem esse, partialium ipsius notionum  
suo loco danda docebit evolutio.

*Thematis  
determina-  
tio.*

§. IV. Quid sibi velit *problema*, idque *chirurgicum* atque *novum*, hac  
vice tantum præcognoscendum est. *Novorum novitatumque* principalem, &  
infinitis in hac causa hodie obtinentibus rixis obicem ponentem *doctrinam*,  
mi fallor, satis evolutam dedi in *Pant. Erud. §. 113-172*. Hic, si pla-  
cet, deprehendes, quænam *primi, secundi, postremi*, imo *nullius ordinis*  
*nova, novitates, novatores & renovatores* judicari debent. Nec equidem  
profecto ægre tulerim, si ex confessis memet ipsum meamque præsentem

*Novitatis  
in hoc the-  
mate dispu-  
dicatio.*

